

Joachim Christoph Boden Jonas Rümker

Idololatriam Gentilium : Quam Auctor Sapientiae complexus est Cap. XIII. v. 2. Superiorum indultu

Rostochi[i]: Weplingius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732447623>

Druck Freier  Zugang



Ru. Mit 2686

SUMMO NUMINE AUXILIANTE!

IDOLOLATRI- AM GENTILIIUM

Quam Auctor Sapientiæ com-
plexus est Cap. XIII, v. 2.

Superiorum indultu

Puplico submittunt Examini,

PRÆSES

M. JOACHIMUS CHRIS-
TOPH: BODENIUS,

WisMariensis.

&

RESPONDENS

JONAS Rümker /

Crivizensis Magap.

IN AUDITORIO MAJORE

Die V. Maij, 1686.



ROSTOCHI,

Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

1686.

IN VINDICAM

IDOLOLATRIAM
AM GENTILIUM

Quam Auctor Sapientiae con-

plexus est Cap. XIII. v. 2.

Superiorum adhibita

Publico subditorum Examinio,

PR. 1782

M. JOACHIMUS CHRIS-
TOPHUS BODENIUS

W. 1782

1782

JONAS BODENIUS

Caricaturae Magis


INT. LIBRARIO - M. 1782

1782

1782

Rostock

THE JOH. WERFELING, 1782



I.



Eum esse, eundemqve
Ens unum summum, quo non sit
aliud prius, esse constitutorem re-
rum omnium, qui hominem in
hunc Mundum, quasi testem lau-
datoremq; tanti sui operis induxe-
rit, esse remuneratorem boni,
quem amare, mali vindicem, quem
vereri debeamus; id verò ex librò
naturæ & conscientiæ humano in-

genio eâ evidentiâ elicitur, ut sint inexcusabiles facti Ethnici,
qui isthoc neglecto ductu non pervenere ad lumen optimum,
ac salutare revelationis & Scripturæ, ipsi perditionis suæ pa-
rentes *vid. Hülfem. Breviar c. 2. Thes. 1. Lactant. de fals. Sap.
c. 9. Sen. L. de ira c. ult. conf. Apostoli verba ad Rom. II. v. 19.
seqq.*

II.

Mirum proinde est quàm maximè, inveniri etiam in me-
diò Christianorum, quos inter verbum ex sinu Patris deprom-
ptum per gratiam divinam tam clarè resonat, non paucos, qui-
bus in Atheismo affectando atq; propagando ponitur ingens
studium. Memorat de Galliâ, deq; unâ in eâdem Lutetiâ
Mersennus *Comment, in Gen. Anno 1623. Atheorum societa-*

rem exercuisse ibi in 70000, inque unica sapè domò duodecim repertos fuisse, hanc impietatem execrabilem confessos. Quid de Italis, Hispanis, Anglis, Belgis sentiendum exponunt Autores à *Maximè Rev. Dn. D. Kortholt. Notis ad Opusc. 2. vom Eisernen Ringe p. 529. seqq.* allegati, quos adire licebit ei, cui ad manus sunt. Sanè qui hos furiosos nequissimorum hominum secum perpenderit, non malè cum *Job. Caso* Philosopho Oxoniensi hanc decrepitam Mundi ætatem potius delirium ejus dicet, ob tam nefanda, horrenda dictu, quæ ab ejusmodi grege passim, sed pessimè proponuntur. Neque enim liberam à peste istà possumus pronunciare nostram Germaniam, de quâ ut & reliquis, meretur legi *Großgebaueri Præservativ. c. Atheos; hujusdemq; præcip. dedicat.* Utinam verò considerarent isti Mundi finitudinem, Magnitudinem, ordinem & pulchritudinem, utinam conservationem, literis abundè conspicuis adscriptam, velut legerent infinitudinem, omnipotentiam, sapientiam, providentiam Entis summi, à quò sunt omnia, nec ampliùs clamarent, non esse Deum. vid. hæc Argumenta ex Apostolo, hausta à *B. Wagnero, in. Exam. Atheismi Speculat. p. 25.*

III.

Sed contra hoc genus impræsentiarum disputare non est animus. Vellicant illa, quæ Paulus c. ad Rom. loc. dixit. *cognovisse quidem Deum Gentiles, testes hoc pactò notitiæ naturalis Atheis opponendi, sed non glorificasse, ut Deum, commutasse potius veritatem Dei mendaciò, & veneratos esse, coluisseque ea quæ condita sunt, supra eum, qui condidit, qui est laudandus in secula.* Nam his verbis Doctor Gentium harundem Idololatriam, voluit declarare, in quâ non nihil delineandâ distingere calamum nunclibet. Haud tamen omnem illam unius Dissertationis brevior complexus capit, quæ quippe magna magnorum Virorum replevit volumina. Hinc certos

certos volui Cancellus mihi figere & ex effato Sapiëntiæ, quod invenitur c. XIII. v. 2. hanc rem hâc vice perlustrare. Aderit qui unicè est tanquam Autor & sustentator rerum omnium devotissimè in auxilium vocandus.

IV.

Anteqvàm verò Specialia, in selecto nobis dicto, adducta, speciatim aggrediamur, sunt quædam in medium proferenda de nostrâ Inscriptio, quæ primo loco exhibet vocem *Idololatriæ*, ex græco fonte derivatam. Separata, (unde composita vox est,) vocabula sive velis, sunt uti facillè apparet, *ἰδωλον* & *λατρεία*; illud à verbò quòdam antiquo, *ἴδω*, video, vid. *Scapul. & nonnullor. Lexicograph. alios*, deduci solet, notatqve simulacrum, imaginem, effigiem, aut clariùs, id omne quocunqve repræsèntatur nobis forma rei alicujus vel fictæ vel etiam veræ; item forma ac species rei in animo conceptæ. Ecclesia in malam trahere partem sivevit, usurpans *ἰδωλον* de simulacris, quibus cultus divinus attribuitur, præviâ scripturâ *Act. XVII. 16. 1. Cor. VIII. 4. conf. Eduard. Leighij Crit. Sacr. sub hâc voce*; hoc verò *λατρείας* scilicet vocabulum à *λατρεύω* est, quod hîc significat, religiosè servire (de quo lege passim Nostros Theologos) ut proin Idololatriâ, *Cypriano* dicente, committatur, cum divinus alteri datur honor vid. *Dn. D. Meyer. Diss. pro Licent. de Idolatr. Judæor. Papist. præprim. Idololatr. Commentar. qu. r. p. 15*, ubi & invenitur, illa Voëtiî Descriptio: quod sit honoris, verè l. interpretativè alicui creaturæ, aliter ac sibi competere potest, quædam exhibitio conf. *B. Dannh. Theol. confc. Tom. P. Oster. p. 16, & Hodomor. Spir. Pap. Tom. 1. p. 125.*

V.

Exhibet Inscriptio loco secundo, *Gentiles*, quam vocem, si Grammaticorum inspicimus forum, derivari à *Gente* constat; Unde etiam *Gentilis* dicitur, qui ex eâdem ortus

A 2

gente

gente sive familia, vel omne quoque illud quod ad Gentem pertinet, aut Genti proprium. Cicero Topic, c. 6. ita definit; *Gentiles sunt qui inter se eodem nomine sunt: ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servavit, quique capite non sunt diminuti.* Sed Scriptores Theologi, Gentiles vocant; *Simulachrorum cultores; Abgöttische Heyden.* Quam significationem & JCr admittunt, eodem sensu hoc vocabulo utentes. Nonnulli notionem hanc in Barbarismis ponunt, & *paganos* illos latinius dici existimant. Verum novam non esse, observavit *Faber. in Thesuro suo*, dum jam apud *Hieronymum Epist. 22. c. 13. & Tom. 6. in Eph. c. 5. v. 20.* hanc usurpatam esse scribit. Plura suppeditat *Cellarius Antibarbar. Lat. Hispanis, Italis, Gallis & Anglis, Gentilis*, pronobili nomine dicitur *vid. Barth. ad lib. 4. Theol. Statist.* Unde autem vox *Gentilium* sive *Gentium* vel *Ἰῶν ἐθνῶν* significationem hanc quam supra posuimus a Theologis nostris acceperit, egregie satis Præceptor meus venerandus nec unquam satis laudandus *DN. D. Schomerus*, declaravit, *in Coll. quodam, Theol. in Theol. Posit. Köningii.* Olim enim cum totus Mundus pronus in Idololatriam rueret, ut magnam atque extraordinariam virtute verus veri Dei cultus apud Israelitas retineretur, factum est, ut vox *Gentium* vel *Ἰῶν ἐθνῶν* in contradistinctione ab Israelitis simpliciter pro Polytheis usurparetur, quemadmodum postea cum in Imperio Romano cepisset Christianismus efflorescere atque Idololatriam non nisi in Pagis amplius inveniuntur; iidem dicti sunt *Pagani*, & religio ipsorum *Pagana*. *conf. B. Kronmey. Hist. Eccl. p. 6. § 180.*

VI.

Restat in Inscriptione Auctor Sapientiam, nec non ipsum dictum. De Auctore varie Eruditi disputant; Bene cum Luthero statuemus esse *Philonem*, librumque adeo, cum de Spiritu Prophetico *Philonis* nihil quidquam constet *vid. Gerb. Diss. Isag. p. 46.* non Canonicum sed Apocryphum, tamen hic ea continentem, quæ adplausum suum merentur; nam
ita.

ita, quæ nostram opëram sibi vendicant, verba habent:
*Aut Ignem, aut Spiritum aut celerem aërem
aut gyrum stellarum, aut violentam aquam, aut
luminaria cæli Rectores Mundi Deos putaverunt,*
videlicet Gentiles. Multas hic ut evolvamus versiones,
haud operæ precium duco. Eas qui desiderat, consule-
re poterit *Biblia* vulgò Complutens. dicta studio &
sumptibus *Franc. Ximèni, Cardinalis & Archiepiscopi Tole-*
tani edita Ao. M. D. XVII. *Antwerpiana*, operâ *Bened.*
Arie Montani, Ao. M. D. LXXII. *Parisiensia* sive *Gallica*
per *Anton. Vaire*, M. DC. XLV. *Londinensia* sive *Anglicana*.
Polyglott. Briani Waltoni, Ao. M. DC. LVII. Adde *Bibl. Bux-*
torfii, & quæ dantur alia, quæ singula in *Bibl. Polyglottis* re-
periuntur. Exstant præterea Græcæ versiones: LXX *Interpre-*
tum, Aquila Theodotii, Symmachi; Latinæ: *Vulgata, Hierony-*
mi, Pagnini, Vatabi, Munsteri, Ofandri, Tremellii, Junii, &c. Ger-
manæ: *B. Lutheri, Dietenbergii*, & alia. Sed an hoc dictum
non satis monstret, quàm sint frustrati in suis cogitationi-
bus Gentiles, ut tam apertam crassamq; (de subtili, vide *Dn.*
Krom. Theol. Posit. Pol. p. 1. p. 737.) adamârint Idololatriam, illi,
cui ad sacra patet aditus, dijudicandum relinquo,

VII.

Agite evolvamus vanitatem per partes. Sic verò
confestim procedendum nobis ad *Ignem*; qui Philo-
sophis audit, *Elementum summe calidum excellenter siccum,*
simpliciter leve, Gentilibus audiit *Nurren*; estq; primus
eorum, ut ajunt, qui ignem colere iussit, *Nemrodus*.
Quo spectant *Chronici Alexandrini* verba p. 64. *Nimro-*
du pro Deo ignem colere docuit; Unde primum eum post
diluviu*m Assyriæ Regem fecere, Nini cognomine imposito.* De-
scribuntur deinde hi ipsi cum *Chaldeis*, verum Deum
scire nolentibus, sub Hebræo nomine אֱלֹהֵי אֵשׁ vel אֱלֹהֵי אֵשׁ vel Chal-
daico אֱלֹהֵי אֵשׁ, Ignem pro Deo habuisse. Quid quod
& *Scriptura S. Gen. II, v. 28. & 31, Patrem Abrahami Thare,*

ejusdem *πελαγαίας* reum arguit; siquidem in civitate UR
 aliis Uroë nuncupata (quam vulgò Babylonia urbem es-
 se credunt) habitaverit, in quâ ignis colebatur. Is verò
 cultus an fuerit proprius, an symbolicus adhuc sub judi-
 ce lis est, nobis perinde erit sive proprius sive symbolicus
 fuerit, si tantum sciamus eam *πελαγαίαν* in hâc civita-
 te in usu fuisse. Et cum in eâ natum esse Abrahamum,
 ante vocationem pariter Idololatram, *vid. Exc. Pfeiff. dub.*
vex. p. 89. verisimile sit, quando ex hac l. c. dicitur pro-
 fectus, istud iter hasce propter causas in se suscepisse non-
 nulli tradunt Hebræi per hanc fabulam: Quod Abra-
 ham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit,
 quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de Ido-
 lolatriæ igne profugerit. De quâ retamen benè laudatus
 modo *Dn. Pfeiff. Dub. Vex. p. 87.* tam insigne miraculum
 scriptura aliquanto clariùs enunciaret, quæ verò planè
 tacet.

VIII.

Sed quicquid de *Chaldæis* sit, constat etiam quod &
Persis & *Medis* sub nomine *Urimasda* Ignis pro Numi-
 ne fuerit. *vid. Stuck. Descript. sacror. gentil.* Ac primò qui-
 dem Ignem coluere ut Dei Symbolum, sed sic ut paula-
 tim penè apud omnes, symbolicus ille in proprium tran-
 saret. Quâ ratione autem *Persa* sacra fecerint Igni expo-
 nit *Strabo*, qui diversum ac varium fuisse modum docet.
 Ignis hic etiam præferebatur *Regibus Persarum*, id quæ sacra-
 riis quibusdam quæ *μυσία* & *μυσαι* Græci appellant.
 Hinc *Amimanus Marcellinus* l. 23. de Magis scribit. *Fer-*
runt quæ etiam, si justum est credi, ignem cœlitus lapsum apud se
sempiternis focus custodiri, cujus portionem exiguam, ut fau-
stam præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt. Hunc tamen
 ignem extinguere solebant si Rex moreretur, ut est apud
Diod.

Diod. Siculum l. 17. Ecclesiastici quoque scriptores hunc cultum apud Persas fuisse affirmant, ut Hilarius (Diaconus, Romanus) in 1. Cor. cap. 9. & Isidorus Origin, l. 14. c. 3. Theodoretus l. 5. Hist. Eccl. c. 38. & quamplures alii quos evolere ac hic transcribere per angustiam temporis non licuit, licebit tamen non difficulter legere curiosiori hujus rei scrutatori. Is vero & apud Strabon. l. 15. Macedonios hoc cultum gavisos fuisse ignemque Sacrum à Persis pervenisse ad Cappadoces inveniet, quin & ad Phryges, quemadmodum ex Romanis accepimus Scriptoribus. Addimus huic cultorum Ignis gregi Aegyptios, qui sub Seraphim Numinis alicujus flammei seu igniti eundem morem secuti sunt, dum Vulcanum per quem partim ignem eiusque artificium intelligebant, in Deorum numero censuisse feruntur.

IX.

Hinc ad Græcos simul & Romanos imprimis hic cultus derivatus, unde ignis perpetuus servari cœpit: Panis in Arcadiâ, Delphis in Græciâ, & Romæ in Templo Vestæ, cui nomen debent virgines Vestales. *Histor. Tripart. l. 10. c. 30. & Alexandr. l. 6. Genial. dier. c. 26. utrisque Ignis nunc erat Vesta nunc Vulcanus. Vulcani nomine designabatur ignis non æthereus quidem qui in sideribus relucet, hic enim Jovis aliàs nomen obtinet, sed elementaris. Hinc oritur illa distinctio, inter ignem cœlestem, & ignem illum qui est sub cœlis; per priorem, quem puriorem habebant altero, Jovem intelligebant, per hunc quem impuriorem dicebant, Vulcanum designabant. Sed neque omnis iste ignis sub cœlis Vulcanus est habendus. Nam Vesta est ignis ille in focus, præsertim publicus, terebratione ligni felicitis, vel de cœlo, vel aliâ fortè ratione accensus, curaque humanâ perpetuus. Vulcanus verò non terebrationi aut cœlo debet originem, nec in publico asservatur*

B

foco

foco, ut cœlestis ignis symbolum: sed partim in nubibus exardescit, unde *Vulcanus Jovi* vulgo dictus fulmina fabricare, partim est sub terris, unde & subinde erumpit. Et hæc credo ostendunt quæ differentia sit inter *Vulcanum* & ignem Dei sive *Vestæ*; quem posteriorem *Romanos* duce *Numâ* accepisse ab *Albanis* Livius ait lib. 1. *Virgines*, in-
 quiens, *Vestæ Albâ* oriundum esse sacerdotium & genti conditos res haud alienum, His ut assidui templi Antistites essent, stipendium conditor de publico statuit: virginitate aliisque ceremoniis venerabiles fecit. *Albani* autem quos & sacrum hoc, postquam translatum *Romam* fuit, retinuisse constat ex veterum historiâ. Adepti id fuere à *Lavinensibus*; *Lavinenses* idem accepere ab *Aeneâ Phryge* ceu tradit *Maro* cum nonnullis aliis.

X.

Hæc ex Historiâ de Ignis cultû attulisse sufficiat; Num aliquid ad ejus continuationem ac propagationem contulerit id quod de igne passim in Scripturis observamus, ad gentiles per traditionem aliquam delatum nunc non definitio. Certum aliàs est quod *Satanas* Dei simius multa *Hebræorum* mysteria imitando consecrari studuerit, quorsum facit illud quod ex *Diodoro Siculo* ac *Æliano* de summo *Judice Ægyptiorum* refert *B. Dannhauerus*, ex ejus collo pependisse ἀγῶνας ἐν σατφείρῳ, quod vocatum sit ἀλήθεια vid. *Theol. Consc. Tom. 1. p. 4.* Sanè in Igne *Græcos* se offendere *Hebraizantes* sat apertè asserit *Dickinsonus* in *Delpbis Phœnicizant. p. 113.* quæ tamen κακοζῆλια nequit esse patrociniò Gentibus, cum potiùs quicquid hoc de Igne *Hebræorû* ad ipsos penetravit (vid. de eo *Dn. Pfeiffer* in *Dubis vexit. p. 254. seqq.*) id debuisset eas incitare ad accuratius negotii hujus scrutinium. Caterùm conf. ulterius

Grotium

Grotium & B. Calovium ad Levit. 26. v. 30. it. B. Varenium
Decad. p. 181. adde Dn. Pfeiff. dub. vex. p. 452.

XI.

Secundo loco sese nobis, quemadmodum prescri-
ptus Textus nos docet, offert ad considerandum *Spiritus*,
per quem hoc loco ventum intellectum volumus, estq; iste
Spiritus pro vento sumptus nihil aliud, dicente Aristotele 4.
Meteor. c. 2. quam *fluxus continuus aëris ad longitudinem*.
Ventus autem in se consideratus est *expiratio in transver-*
sum agitata. Arist. 2. Meteor. c. 1. & 4. Seu est *exhalatio*
multo saepe humore permixta solis aliorumve siderum vi sur-
sum attracta & frigidi aëris occursum repulsa oblique discor-
rens. Cui jungimus imperante id brevitate quam sectari
placet confestim *Aërem* tertio loco nobis exhibitum,
Aristoteli 2. de gener. c. 3. & 4. de cœlo c. 4. descriptum per
Elementum summè humidum remissè calidum, secundùm quid
leve. Nam possunt hæc duo aliàs satis distincta licet,
quantum conjicio, non malè hic conciliari, quamvis nihilo-
minus distinctè cultores adducturi sumus.

XII.

Inter illos autem qui ventos coluere primos esse arbitror
Persas & Massagetas, qui sub nomine *Æloi* hunc
habuerunt cultum ut testatur *Gyraldus in Syntagm. suo*. Hos
secuti sunt *Phœnices*, quod ex *Phœnicæ Sanchuniatzenis*
Theologiâ liquet. Eusebius n. l. 1. de *preparat. Evang.* refert
ex eâ, *Usonem Phœnicem* templum iis posuisse. Præ-
tereâ *Græcis* etiâ in Diis erant hi venti. Cum enim maxi-
mus iis metus esset incussus ob adventantem Xerxis exer-
citum, Oraculum Delphicum iussit eos *ἀνέμοισι εὐχεσθαι*,
ventis supplicare. Rationem addidit, quia ab his maxi-
mè auxilium Græciæ maneret. Itaq; tum in delubro

Thujae Cephis filia, ara est ventis constituta, iisdem quae
 sacrificatum. Apud Platonem quoque in Phaedro legimus
 de ara ab Atheniensibus Borea constituta. Qui cultus
 an mixtus vel purus fuerit explicat insignis ille Gerhardus
 Job. Vossius l. 3. c. 1. de Origine & progressu Idololatr., ex
 quod nonnulla antiqua & non ubivis obvia, hic me inseru-
 isse ingenuè fateri non erubesco, ne quis dein plagij cujus-
 dam (quod exosum mihi nomen) arguere audeat inno-
 centem. Huic quoque vento praesertim Circio (Gallia
 imprimis Narbonensi peculiari & valde infesto) placando,
 ipse Imperator Augustus suam ordinavit sacra, de quod L.
 Seneca Natur. quaest. l. 5. c. 17. hoc testimonium perhibet;
 Galliam infestat Circius: cui aedificia quassanti, tamen inco-
 le gratias agunt, tanquam salubritatem caeli sui debeant ei.
 Divus certe Augustus templum illi cum in Gallia moraretur &
 vocavit & fecit. Approbat hoc idem Philippus Morneus de ve-
 rit. religion. Christ. c. 22. quem ventis nonnulli Poëtarum
 praefecerint ut in historia veteri, praecipue Romanam, vide-
 re licet. Vocarunt eum Aelum quem Iliacis temporibus
 vixisse asserunt, ac post socerum suum Liparum in Insu-
 lis regnasse Vulcanus, quae postea Aelia ab eo nominata.
 Addunt adhuc nonnulli, eum fuisse Regem, qui non tam
 pius & justus, sed & rei siderum ac nauticae tunc temporis
 peritissimus fuit, hominesque edocuit quomodo sint faci-
 enda vela, & ex nebulis surgentibus praedicandae tempe-
 rates, & quae sunt alia meo iudicio figmenta. Atque
 ob ista commemorata post mortem habitus est ventorum
 Deus. Plura etiam prolixiora hanc de re qui desiderat, evol-
 vat Polybium, quem secutus est Strabo, item Diodorum Sicu-
 lum & nonnullos alios.

XIII.

Aërem quem Junonem seu Aëriam vel Dianam sive te-
 re Teo-

ste Theodorēto *Aërisecam* dicebant, Dei quoq̄veloco vē-
nerabantur Gentiles, imprimis *Anaxomenes*, *Apollo-*
niates, *Diogenes*, vid. *Cicer. l. 4. Acad. Quæst. T. 4. c.*
47. Gl. 1. de Nat. Deor. T. 4. Plura adhuc *Macrobius libr. 1.*
Saturnal. c. 15. exhibet. Utinam hi cum Augustino inter-
rogāssent terram & quæcunq̄ve in eādē sunt, non ven-
tos nec aërem pro Diis habuissent, siquidem eandē, cum
eo responsonem quæ hic apponere meretur, retulissent,
Interrogavi inquit ille *l. 10. Confess. c. 6. T. 1. col. 164.* ter-
ram, utrum Deus esset, & dixit, non sum & quæcunq̄; in
eādē sunt; idem confessi sunt. Interrogavi mare &
abyssos & reptilia animarum vivarum, & responderunt,
non sumus Deus tuus, quare super nos. Interrogavi flabi-
les auras, & inquit universus aër cum incolis suis fallitur
Anaximenes, non sum Deus tuus, interrogavi cælum, so-
lem, lunam, stellas, neq̄ve nos sumus Deus quem quæris
inquiunt. Et dixi omnibus iis quæ circumstant fores
carnis meæ; dicite mihi de Deo meo, quod vos non estis,
dicite mihi de illo aliquid, & exclamaverunt voce magnâ;
ipse fecit nos. *Idem serm. 143. de Temp. T. 10. col. 910.* Inter-
roga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem di-
lati & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cœli, inter-
roga ordinem siderum, interroga solem, fulgore suo diem
clarificantem, interroga Lunam splendore suo sequentis
noctis tenebras temperantem, interroga animalia quæ
moventur in aquis, in terris, quæ volitant in aëre, laten-
tes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, invisibiles
regentes, interroga ista, respondebant tibi omnia; Ecce
vide pulchra sumus, pulchritudo eorum, confessio eorum
est, non verò de se prædicant, quod sint Dii multò minùs
quod illis cultus debeatur divinus, quem proin impio cona-
tū illis tribuere Gentiles.

XIV.

Nec minùs impiè eundem assignavère *Stellis* quarto loco ponderandis, neqve iis tantùm quæ inter signa Zodiaci nitent, ut placuit nonnullis, sed in universum omnibus gyro videlicet *stellarum* quem *militias cœli* dicit sacer Codex. Deut. 17. v. 3. 2. Reg. 17. v. 16. Eum universum religioso profecuti cultu sunt Gentiles omnes, docente *Cicerone* l. 3. de *Natur. Deor.* nimirū cum *stella, corpora illa excellentissimè in cœlis splendentia*, Aristotele interprete in libro de cœlo, per hunc insignem fulgorem suum, qui in innumerali ipsorum multitudine deprehenditur fatis efficax in admirationem rapiat animos, suspensosq; teneat; vix mirum ad colendas Creaturas mentem appellentes, his nitidissimis quoq; parum tribuisse. Sunt autem earum duo genera: immutabilibus spaciis *alterum* ab ortu ad occasum com meat, nullum unqvàm cursus sui vestigium inflectens; duas continuas conversiones, *alterum* iisdem spaciis cur sibusqve conficit, & inordinatum, ut ita loqvar, servat ordinem. Factum exinde ut sensum ac intelligentiam inesse sideribus somniarent Platonici Cic. l. 2. de *Nat. deor.* cumq; iis Origines *stellas vota nostrâ cognoscere exaudire quogvè* inter aperta Plotini ponit *Cœl. Rhodiis* *Leç. antiq.* Adamantius in Tractatu quodam singulari: *animata sunt*, inquit, *corpora cœlestia, quoniam à Deo mandata dicuntur accipere quod rationali tantùm nature contingere consentaneum est.* Augustinus Enchirid. ad Laurent. conf. Dyonyf. Carthugi in Deut. 17. dubitat, *utrum ad eandem societatem Angelorum pertineant Sol & Luna & cuncta sidera quàmvis nonnullis lucida corpora esse non cum sensû & intelligentiâ videantur.* Manasse Ben Israel Probl: 25. *Cœli*, scribit, *secundum R. Mosen More Nevach part. 2. c. 5. & rei veritatem habent animas proprias, rationali vitâ preditas.* Quæ superstitio ulte-

ulteriùs indies magis magisq; ascendit, ita ut indoctè satis & impiè magna terræ pars, & origo antiquissima divinitatem astris tribuerit. Nam *Judæi* ipsi ut patet ex *Amose* 5. v. 26. & 2. *Reg.* 23. v. 45. hunc cultum persecuti sunt, imò *Enochi* statim tempore ministerium stellarum quod indefesso studio Creatori præstant cœpit efflorescere, quemadmodum testatur *Maimonid. de Idolol. in initio c. 1.* ubi tamen malè inter *Aspolares* Enosum iplum refert. De *Græcis* & *Ægyptiis*, ut temporis habeam rationem, jam non dicam siquidem pauci erunt qui hoc ignorant, quantum studiò, quantumq; curâ hunc persecuti sunt astrorum cultum. Nam si ignem Elementarem & fatuum tam sanctè habuerunt, quantum faciliùs hoc persuadere sibi quis poterit de stellis. Non dicam de Cometis, quibus honoribus eos affecerint, sed potiùs accuratiorem Lectorem ad jam ante citatum *Vossium* ablego, qui *libro 3. c. 9. 10.* eruditè satis hâc dere disserit. Hoc unicum adnecto, quod cultus iste nec hodiè expiraverit, siquidem *cœli militiam* teste *Guilhelm, Parisiens. l. de fid. & Leg. cit. Dionys. Carthus in Deut. 17.* multæ adhuc nationes *Aquilonaris Barbaria* colunt. Sic *Moscovitarum Septentrionalium, Chinesium, Japonensium* devotionem quam hoc in cultu exhibent, docent *Michov. l. 2. tr. 2. c. 2. Ortelius, Henning. l. 2. c. & alii. Philippinarum* etiâ *incola* eâdem dementiâ capti vivunt, ita ut sese *Solis & Lune* liberos esse, dicantur opinati. Quid apud *Magellanicos & Americanos* adhuc obtineat passim qui ex istis locis redeunt, delineant.

XV.

Anteqvàm tamen hinc ab eo libet attendere Argu-
ment-

mentum Stoici ap: Ciceronem ex sensu & ratione stellarum divinitatem colligentis, cujus verba lib. 2. de natura Deorum ita se habent: *Hanc in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni aeternitate convenientiam temporum non possum intelligere sive mente, ratione, consilio, quae cum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in Deorum numero reponere.* Cui quidem asserto Academicus l. 3. l. c. aliis verbis ite obviat: *Sed nec omnia, Balbe, quae cursus certos & constantes habent, ea Deo potius quam natura tribuenda sunt, quid Chalcidico, Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius &c.* Nos autem respondemus per retorsionem, hoc ipso, quia, stellae non possunt alio motu moveri, non liberè sed ad nutum superioris eas moveri, ac divinitatis proin encomio non esse ornandas, ut bene Lactantius lib. 2. c. 3. inqviens, *ex hoc apparet, stellas Deos non esse, quod exorbitare illis à praestitutis itineribus non licet &c.* Conf. Grot. Ver. Rel. Christi Superiorille cujus nutu & omnia in caelis & terris geruntur, solus & unus Deus est, de quo Propheta Baruch. c. 3. v. 33. 34. & 35. *emittit lumen & vadit, & vocavit illud, & obedit illi cum tremore, stella autem dederunt lumen in custodiis suis & letatae sunt: vocatae sunt & dixerunt, adsumus & luxerunt ei, cum jucunditate qui fecit illas, Unde elucet vanitas ἀσπυλατρείας.*

XVI.

Sequitur jam in Textu nostro membrum quintum, agens de *Violenta aqvâ*, hæc autem in se spectata, cum nihil aliud sit quam *Elementum summè frigidum, excellenter humidum, secundum quid grave.* Arist. l. 4. de caelo c. 5. & l. 2. de gener. & corrupt. c. 3. videbimus quam ob causam Auctor sapientiae violentam inprimis expresserit aqvam. Credo ego Βίαιον ὕδωρ, violentam hanc appellasse aqvam vel quia magna-

magna vis cuius aquæ inest vel quod non omnem aquam
sive residem sive in Cisternis conclusam respexerit, sed
duntaxat vasti maris, aut præterea fluminum majorum;
quo enim major in corpore aliquo sese vis exerebat, eo
plus Divini illi inesse iudicabant Gentiles. Hæc autem
Maria & aquas alias adorabant sub nomine *Neptuni*,
more *Romanorum* *Ægyptii* & *Persæ*. Prioribus nihil
in majore honore erat quàm *Nilus*. Testatur id *Athanasius*
qui ipse *Ægyptius* fuit *Orat. cont. Gentes*: ἀλλοὶ ποταμὸς καὶ
ἀρήνας καὶ πηλῶν μάστιγα διγόητοι τὸ ὕδωρ ὡς τιμήσασι, καὶ
θεοὶ ἀναγκύουσι: *Alii fluvios & fontes, & omnium*
maximè Ægyptij aquam præcipuè venerati Deosq; appellant.
Similiter Jul. Firmicus de err. prof. relig. Ægyptij Incole
aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis suppli-
cant, aquas superstitiosa continuatione venerantur. Conf. Vi-
truv. in præfat. l. 8.

XVII.

A Persis quoq; divinus aquæ honos præstabatur, quem
admodum id quàm plurimi testantur imprimis inter alias
Laërtius in præm. Op. Clem. Alexand. Admon. ad Gen. Arno-
bis l. 6. Sidonius Apollinaris panegy. Herodot., Strabo & alii
Adeo enim flumina venerati sunt ut religio illis fuerit in
iis alvum (sic venia verbis) exonerare, vel inspuere vel ca-
daver aut sordidum quid injicere, atq; vel manus vivo
flumine abluere. Unde *Tyridates de Armenis ad Nero-*
nem iturus eo navigare voluit, quoniam (Plin: l. 30. c. 2.)
exspuere in Maria, aliisq; mortalium necessitatibus violare eam
naturam fas non putaret. A Scitis etiam & Celtis ac novior-
bis incolis aqua Deorum instar colitur, vid. Herodot. &
Orig. cont. Celsum l. 6. & alios. Alemanni quoq; & Sve-
vi teste Agath. l. 1. & 2. hist. peregr. nec non Ebionitæ & Da-
masc. l. de Hæres. Epiph. l. 2. hæres. & Briffon. l. 2. de regn
per

Perfar. hunc cultum strenuè amarunt. Imò si ad propri-
 ora nos secula conferemus & ibi quàm plurimos agonizan-
 tes idololaticos & *marium* olim cultores reperimus, in-
 primis *Cattos* sive *Hessos* à Bonifacio primo Mogunti-
 nensium Episcopo deinde conversos, qui fontibus partim
 clanculò partim apertè sacrificarunt, ut commemorat
 Willibaldus (quem librum Canisius & Serrarius edidere)
 c. 8. Tum verò *Hessorum* jam multi *Catholice fidei subditi, ac*
septiformis Spiritus gratià confirmati, manus impositionem
acceperunt. Et alii quidem nec dum animo conformati in-
temerata fidei documenta integrè recipere renuerunt. alii in-
lignis & fontibus clanculò, alii autem apertè sacrificabant.
Bohemos itidem fontibus sacrificasse legimus ap. *Job. Du-*
bravium l. I. Hist. Bohemica, quò & huic rei firmandæ de
Nympharum ab hac gente cultu & id genus Numinum, ver-
 ba adducit è *Procopii historià Gothica.* Idem *Dubravius*
 in nono historiæ suæ libro sic scribit: *Cetera in Bohemià*
tranquilla erant, nisi quod ad vomitum superstitiosi rursus re-
vertebantur, Lares & Lemures colentes, victimasquè tum ad
fontes tum ad lucus & compita mactantes. Ut alios præ-
 teream, nam & hos vel breviter attigisse in præsentiarum
 satis erit. Non possum tamen omittere planè quod *Sozo-*
men. l. VIII. c. 20. de Theodos. M. refert, apud *Dannbauerum*
Myster. Syucret, p. 56. Is cum cultum Dæmonum in Ægypto
 prohibuisset, Nilus eo anno solito tardius ascendisset iterili-
 tatem miratus, id què Ægyptii edicto Imperatoris impu-
 tassent, jamquè ad seditionem omnia spectare & in nervum
 erumpere viderentur; Imperator rogatus ut conniveret,
 cederet multitudini, daret aliquid infantorum pertinaciæ;
 ἀμεινον, ως πρὸ θεοῦ. Διαμύνηται πρὸς τὴν Νείλου νάμα τὰ κ' τῶν
 ἔντευθεν εὐσεβείαν, ἀληθείαν, τῆς εὐσεβείας, μηδέποτε γὰρ ῥῥο-
 σσειεν ὁ ποταμὸς εἰπερ ἀληθῶς οἰάντε εἰσι γοητείαι. Ὑπαγεταὶ καὶ
 θεοῦ χάριτι; *Præstat erga Deum manere fidelem quam*
suam.

fluente Nili & ex iis expectatam anni felicitatem preposuisse pietati. Imò malim ut nunquam fluat siquidem re vera excandationibus pellicitur & sacrificiis delectatur. Anne verò postea pejus habuit Resp. Romana? non certè, sed Nilus agrorum canonicorum irrigator ita Divina benedictione intumuit, ita largè se effudit ut non solum in contrarium metum conjecti Ægyptii, ne aquis mergerentur, pertimuerint.

XVIII.

Sed ad ultimum est accedendum, quod sunt luminaria cœli, per quæ Auctor nostri libri nihil aliud intelligit quàm Solem & Lunam, quæ sunt luminaria cœli, actus perspicui per se visibiles, quibusq; mediis cernuntur cetera omnia. Arist. l. 3. de anima c. 3. Sol Ægyptiis, Phœnicibus & Græcis summæ venerationi fuit. Persis, Massagetis maximus Deorum dictus, ut & de Americanis asseritur, quod maximum Deum solem agnoverint. Virginenses & Floridani eum adorant hanc ob causam, quod calore suo omnia producat; unde cibum aut potum sumpturi & sacra facturi partem de esca Solem versus projiciunt. Utina Floridanorum subditi, vid. Americ. Meriani icone 35. paulò ante quàm ver inciperet, tergus cervinum cornibus instructum, optimis herbis confertum consuebant, cornibus collo & ventri fructus selectissimos alligabant. Ornatam pellem cum tibiis & canticis in planicie amœnissimâ procerissimæ arbori imponebant, capite & pectore orienti obversis. Preces suas summâ reverentiâ erga Solem effundebant, supplices rogantes ut ejusmodi quos jam obtulisset fructus iterum producere dignetur. Est & quidam eorum Rex, teste Gothofr. in Hist. Antip. cum ipsi cum hoste pugnandum esset, victoriam à Sole precatus.

XIX.

Ex recentiori historiâ hæc pauca adjicio. De Grön-

C 2

lan-

larum religionē in hunc usq; diem nihil quidquam
certi compertum, nihilominus tamen exploratum, quod
nonnullæ fœ ninæ, Anno 1654. à Danis indè abductæ in-
terdum solem cœlo Orientem respexerint, & lacrymas
emiserint. *Olear. Itin. Pers.* unde non incommodè à
nonnullis colligitur, populares earum *Solis* venerationi
addictos esse, quod de multis etiam ex *Septentrionalibus*
Sveciæ populis creditur à *Lind.* & *Olear.* Contagione
hæc corrupti quoq; sunt *Japonenses*, adeo quidem, ut
quidam ex iis gloriatus fuerit, *se cum Collegis, familiares esse*
solis, astrorum, Deorumque cœlestium, quibuscum nocturnos
sapè sermones, sapè etiam complexus jucundissimè misceant. vid.
Varen. de Relig. Japonenf. De Scythiis, Moscoviæ subjectis &
Samojetis, Tartariæ deserte partem colentibus, ut &
nonnullis aliis gentibus, legi possunt, quam plurimi adhuc
Historiographi partim citati, partim peregrinis lingvis
conscripti, quos earum peritis relinquo.

XX.


Nec *Luna* suo cultu destituta, quemadmodum vide-
re licet pluribus ex *Gyrald. Syntagm. Stuck. de sacr. f. Gentil.*
Alex. ab Alexand. Plin. l. 2. c. 6. & aliis. Catami Tartari
ei sacra facere dicuntur. *Chinensium* hæc superstitio quoque
torquet ingenium. Idem malum, propter vicinos ma-
los, *Japones* exagitat. *Nigritæ* quoque *maritimi, Lu-*
nam adorant. *Mexicanorum* pleriq; eam pro Numine
venerati sunt. De *Americanis* vulgò narratur, quod
una cum Sole summum Deum *Lunam* censuerint. Sic
Celtas Solem & Lunam adorasse innuit *Jul. Cæs. l. 6. B. G.*
Deorum numero inquit eos solos ducunt quos cernunt, & quo-
tum opibus apertè iudantur. In *Sveciæ populis* sub po-
laribus inveniri quosdam qui *Lunam* adorant, nonnul-
li tra-

li tradunt. Et quis recensere omnes aufic' quos Satanas,
mille fraudum partifex in hoc cultu idololatrico irretitos
captosqve tenet?

XXI.

Illud autem non diffitemur, præter hos, in Dicto
nostro nominatos innumeris adhuc Diis gavidos fuisse
Ethnicos, quos in *Majores & Minores censentes, semideos,
indigetes, Sermones, divipotes, Novensiles, Medioximas &c.*
distinguebant, quorum omnium seriem, naturam & offi-
cia qui scire flagrat, evolvat *August. l. 4. de Civ. Dei c. 15.
Et. 6. c. 9. Lactant. l. 1. de fals. relig. c. 20. Et. 1. Insti. c. 15. Morn.
de perit. Relig. c. 22. Tertull. Apol. c. 24. Tacit. de mor. Germ.
Dion. Hist. Rom. Alex. ab Alex. Genialium dierum. Athanas.
cont. idol. Euseb. l. 3. de preparat. Evang. c. 2. Gyraldus de Diis
Gentil. Florin. Antiquit. Rom. Ludov. Viv. ad c. 19. l. 18. de C. D.
Augustini, Julian. de Deor. Cognom. Scalid. in not. ad Orph. &*
quamplures alios. Nobis sufficiant, jam allata, quæ quan-
tum judico poterunt passim ansam suppeditare instituen-
dis in placidâ Disputatione discursibus. Cui scopo potissi-
mum inservire debuit, quicquid hic congestimus. Erunt
omnino aliqua quæ accuratius deduci ac exponi debuissent,
erunt & aliqua in quibus fortasse nondum sumus assecuti,
quantum res voluit. Illud ergo abs benevolo Lectore con-
tendo, ut istud Yvonis Villiomari s. Josephi Scaligeri
in fin. animadvers. in loc. contr. Titii probe pensitet:
*Neminem nempe esse mortalium quem non aliqua pars
ignorantia attingat, hanc contagionem ex ipsâ morta-
litate contraximus. Nam homo cum errat, humani-
tatis errat. Errorem autem in homine calumniari est
toti ipsi mortalitati convicium facere.* Deo interim

O. M. omnem semper laudem vindicaturi sumus
pro virili, quoad erimus.



I Dolis variis quem consecrârit honorem.

Prisca superstitio futilitate scærens
Vestra, VJRI JUVENES, proba dissertatio monstrat:
Opto, sit, hic prosper fructificusqve labor.

Clarissimi DN. Præsidis & Præstantissimi DN. Re-
spondentis Honori & amori L. M. Q. scribebat
CHRISTIANUS HILTEBRANDT, Prof.
Ducal. Ord. Publ. & hodie Univers. RECTOR.

Teresecante CADUNT Cultus & Signa Deorum:

Inde, reor, SURGET nomen honosq; tibi,
Sic juvet ex Divûm Laudes fabricare ruinis!

Sic juvet ex casu surgere posse DEÛm!

IDOLUM NIHIL EST: * Nihilo nil fiet: At inde

Tu tibi grande tamen nomen, *Amice*, creas.

Talia de nihilo si nunc producere nosti,

Quæ non ex aliquo facta fuisse putem.!

Gratul. cum voto felicissimorum in studiis successuum, hæc

* I. Cor. viii.

paucula doctissimo DN. Respond. adjicere voluit

v. 4.

FRANCISCUS WOLFFUS, D.

Dum RÛMKE RE probas quã multum præstet Inani

Idolo, SUMMUS Rector in Orbe DEUS,

Ingenii vires de clarã voce cathedrã

Exeris, hos nilus adjuvet OMNIPOTENS,

Lubens meritoq; scrib.

ALBERTUS WILLEBRANDUS, V. J. D.

Instit. Prof. Ordin.

Mercator postquam merces collegit opimas

Per varios casus, non sine laude, sibi,

Civibus exponit fructus usumqve beatum.

Ut studii retrahat præmia larga sui:

Sic

Sic vos cū solidas curā congestis, Amicī,
Artes & lingvas, dictaque sancta Dei,
Dum præclarā sonant doctæ nunc atria turbæ
Protrahitis vestras sedulitatis opes.
Credite nec frustra vos insumpsisse labores:
Non largo fructu non quoque laude carent.
Ex animo grator: maiora perentibus adstet
Auxilium quō non certius esse potest.

*Quibus Clariss. DN. Præsidi ut & Præsantiss. DN. Re-
spondenti Amicis suis Honoratiss. gratul.*
JOH. BARNSTORFF. D.

Idolis Gentes ut vanā mente litārint,
Id Tu, Noster Amor, non sine laude doces:
Apprecor, ex voto cedat labor iste, Tuisq;
Et Tibi læticiam procreet atq; Decus!

*Hoc brevi versu prolixissimum testari affectum erga
Clarè Doctum Dn. Respondentem voluit*

GOTTLÖB FRIDERICUS SELIGMANN,
S. Theol. Ddus, Metaph. & Phys. Prof. Templi Cathedr.
Archi-Diac. ap. Lips. adhuc Colleg. Ducal.

Idolum damnat RŪMKERI sedula vena,
Ut possit studiis conciliare decus.
Mentiti tractat falsissima Numina Divi,
Demonstrans aliis Numina vera DEI.
En fructus studii! quos donat cura laborqve.
Gratamur coeptis, svavis Amice, Tuis.

Ita Doctissimo Dn. Respondenti de Idololatria disputanti adplaudunt.

COMMENSALES SELIGMANNIANI!

ES memor IDOLI, populi sub pectore culti
EO Utinam & nobis rueret nunc fœda LATRIA
IDOLI, quod corde colit gens relligiosa
Æquè, si tanto (cælum hoc & sydera testor)

Destruere

Destruere in nobis studio conaberis illud
Haut aliòs tantum, verum PATRIOSq; penates
Portabis tecum, recteq; coletur Jova.

Hac occasione presentis materia in honorem Per-Eximij Dn. Respondentis rogatus suffigere voluit

JOHANNES ANDREAS WITTER, Jevera Friisus.

Sic recte Numen, *Fautores*, quæritis alium,
Felix qui reperit, quique docere studet!
En præsens specimen sanctum demonstrat aperte
Quis fiet iste Deus, quiq; colendus erat
Numinis accendat vestram clementia mentem;
Et semper vobis prospera quæq; fluant

Clariff. Dn. Magistro Præsidi, & pereximio Dn. Respondenti amicis suis longe honoratissimis scribebat

DANIEL SCHRAMMUS, S.S. Theol. Stud;

M Entita Divum sancta crepundia, quæ gentium sunt culta propagine, Eccur refers RUMCKETE, terra qui mihi proximior natus? Quid vanitatis somnia non tuo labore vano prodita publicæ luci remonstrabis, sua quæ jam levitate jacent sepulta? Indigna dictu mens venerans DEI Præcepta censet, nomina gentium	Quæ sunt DEORUM vel referre Ore, quid e cathedra docere? Verum recensens insimul impios Idololatrias rejicis, ac DEUM Qui numen est verum DEORUM, Quæ pietate decet, tueris. Hinc gloriam qui Numinis impigro Labore pugnans, in studiis tuis Quoscunq; fructus experire, Ceu tua vota ferant, benignos.
---	---

Faucula, hæc in honorem Præsantis Dn. Respondentis Conterraneis sui spavissimi cum voto omnigenæ felicitatis apposuit

Imq;

HARTWIG HELMUTH de PRESENTIEN,


Eqbes Mecklenb.

Qui terit idolum, precibus qui pulsat olympum,
Is pius & doctè relligiosus erit.
Non minus est doctus, doctis rationibus utens,
Qui docet idolum, quilibet ut fugiat
Hoc bene perpendens RUMKERUS monstrat apertè
Innumeros gentes excoluisse Deos.

Faucula hæc relinquere voluit amico amico

TOBIAS GÖTSCHKE, J.V. St. Sverino-Megap.

06 11 30



ancellos mihi figere & ex effato Sapiencia, quod
Ill. v. 2. hanc rem hac vice perlustrare. Ade-
st tanquam Autor & sustentator rerum omni-
nè in auxilium vocandus.

IV.

m verò Specialia, in selecto nobis dicto, ad-
m aggrediamur, sunt quædam in medium pro-
pstrâ Inscriptio, quæ primo loco exhibet vo-
cabula, ex græco fonte derivatam. Separata, (unde
est,) vocabula sivelis, sunt uti facilè apparet,
illud à verbò quòdam antiquo, εἶδω, vi-
ul. & nonnullis Lexicograph. alios, deduci solet,
ulacrum, imaginem, effigiem, aut clariùs, id
quæ repræsentatur nobis forma rei alicujus vel
in verâ; item forma ac species rei in animo con-
esta in malam trahere partem sivevit, usurpans
ulacris, quibus cultus divinus attribuitur, præ-
Act. XVII. 16. 1. Cor. VIII. 4. conf. Eduard. Leighij
hac voce; hoc verò λατρεία scilicet vocabulum à
quod hic significat, religiosè servire (de quo le-
stros Theologos) ut proin Idololatria, Cypria
committatur, cum divinus alteri datur honor
per. Diss. pro Licent. de Idolatr. Judæor. Papist. præ-
r. Commentar. qu. r. p. 15, ubi & invenitur, illa Voë-
o; quod sit honoris, verè l. interpretative alicui
er ac sibi competere potest, quædam exhibitio conf.
Theol. consc. Tom. Poster. p. 16, & Hodomor.
m. 1. p. 125.

V.

st Inscriptio loco secundo, Gentiles, quam vo-
mmaticorum inspicimus forum, derivari à Gen-
Unde etiam Gentilis dicitur, qui ex eadem ortus

A 2

gente